



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Gemitus Compeditorum; Sive Tentationes, Quae Frequentius Adoriuntur Religiosos, Et A Perfectione Impediunt

Kessler, Nicolaus

Coloniae, 1677

Præfatio Ad Lectorem.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46734](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46734)

P R Æ F A T I O

A D

L E C T O R E M.

AMICE LECTOR : Amicum te compello, quia benevolum spero æquibonique interpretem. Reperies in decursu annexum quandóq; certis Gemitibus Parergon ad Superiores, ubi ne offendas, & dicas non ultra crepidam; tuum non est Prælatos, & eos, qui altioris te sunt conditionis, arguere, vel instruere. Id velim scias, me Superiores frequenter non tam Prælatos, id est, Ordinarios, & ordinaria potestate præditos, quàm delegatos, Vicarios, Priores, vel Subprios, &c. quocunque denique insigniantur nomine, intelligere, quos tantò una mecum adhortor confidentiùs, quantò ipsi his & similibus Gemitibus angustiantur frequentiùs, concutiuntur validiùs à ventis & turbinibus calumniarum, detractionum, susurrationum, positi quippe cum sint ad signum, quibus contradicatur, vel, ut alii eos nominant,

Cloacæ cum sint Conventualium, utpote ad quos univrsarum confluunt fæces tentationum, deponuntur sarcinæ quarrelarum, alliduntur eheu nimium contradictionum, contentionum, averfionum fluctus atque procellæ, non possunt non ista pati & experiri. De his præmonitum te volui, ne quasi te momum in corde reprehendas. De cætero, si quæ sunt, quæ tibi videbuntur exotica, aut à Religionibus, & Religiosis personis aliena, Deo gratiarum actiones repende, quia fortunatiori vento navigasti, & time. Miraberis fortassis, qui ausim ego generaliter de univrsis Religiosis scribere, & unde haurire potuerim (tacitè interrogabis) interiora eorum, id crede, quia frequenter fides non ex auditu tantum, sed notitia à visu hausta, actus enim hominis indicant, quid sit in homine. Vale.

APPRO-